



^{VI}
Carmen

6/125

DE VIDVÆ IN
SAREPTA BENE-
FICIO HELIÆ EXHIBI-
TO; ET REMVNERATIONE
EIVS DIVINA.

In gratiam

BENEFACTORIS SVI

MAGNIFICI ET NO-
BILISSIMI VIRI, DN. IO-
ACHIMI A BERGE IN HERNDORFF
& Glade, Sac. Cæs. Maj. à consiliis
secretioribus &c.


Scriptum
à

IEREMIA COLERO
SILES.



SERVESTAE

Typis Iohannis Schlerij, Anno 1710 IC.





MAGNIF. ET NOBIL. VIRO
D N. IOACHIMO A BERGE
IN HERNDORFF ET CLADE

SAC. CÆS. MAI. A CONSILIIIS
SECRETIORIBVS.

PIETATIS, BENEFICENTIÆ,
ERVDITIONIS, ATQVE OMN. VIR-
TVTVM EXEMPLO

MÆCENATI SVO COLEN-
DISSIMO

HOC GRATITVDINIS OBSE-
VANTIÆQ. PIGNVS
L. M. Q.

DAT, CONSECRAT,
OFFERT,

Jeremias Colerus
Gurau, Sil.



EPIGRAMMA

Iohan Maioris D.



*Cribere res versu, quadam est diuina
facultas:*

*Motus & à superis sedibus ille
venit.*

*Sed tamen hunc motum prece & ar-
te iuuate Poëta,*

Vt faciles numeri cum ratione fluant.

Sic nexam ex hedera aut lauro sperate coronam:

Venaq; sic genio non caritura suo est.

Vatis id officij est extollere laude merentes,

Et testem exempli versibus esse boni.

Quod tibi dum cura est: bene tu quoq; amice mereris:

Illa igitur larga cura iuuanda stipe est.

Fertilis Elysiæ doctorum est terra virorum:

Et Charitum in medio sunt ibi templa foro.

Hæc quoq; se te Vate pio, & te iactat alumno:

Non maius decus est, quàm placuisse bonis.

A 2

Non

Non Deus est, qui nos promisso ludere inani,
 Aut sua destitui pondere verba velit:
 Sed bona quæ verbis iniit, re cōprobat ipsa:
 Tu modò mēte breuē ser patiente morā.
 Cuncta dat in medium quæ vita requirit, & usus,
 His quibus est verbi cura fidesq; sui:
 Nec quenquam ex illo numero sermone fefellit:
 Mille quod exemplis pagina sacra docet.
 Vna vel ex multis instar sit fœmina nobis,
 Cui tribuit fidum parua Sarepta larem.
 Huius enim euentus declarat imagine viva,
 Quàm pro re nostra sit pia cura Deo:
 Vt quanquam argumenta notent hęc plurima curā:
 Vix tamen hoc vnum quod superabit erit.
 SCIT Vates (quòd erat reliquis magis omnibus v-
 Per Flatum ætherij numinis arte sagax) (nus:
 Scit, se non proprio doctrinæ ad munia motu
 Sed Superum regis voce trahente trahi.
 Vnde nec est dubius, ne non ubicunq; locorum
 Subsidium vitæ possit habere sua:
 Nempe sibi injunctas dum sedulus urgeat artes:
 Doctrinæq; serat semina recta pia.
 Hac præeunte fide, vitæ petit apta tuenda,
 Et vires validi corporis, atq; dapes:

Sic:

Sic tamen, ut fortuna precum hac in sorte suarum
Vnius ad nutum stetq; cadatq; Dei.
Atq; ita quæ petijt sibi erant secura repulsa:
Et vota euentu non caruere suo.
ERgo ubi Solriuum fatali exusserat aestu,
Antè ubi mirando munere pastus erat:
Et tostam Cererem cum vesca segmine carnis
Iam furtiua illi ferre negaret auis,
Nec videt unde cibum porro pctat: haud tamen ipsi
Spes sua de victu victa timore cadit.
Sed quò fata uocant properat, torrente relicto,
Longum iter ad sedes ire, Sarepta, tuas.
Iamq; via fessus tugurij se sedibus infert:
Quà conflare focis vitra solebat herus.
Illic orba viro ligni ramenta legebat,
Pro nato exiguam prompta parare dapem.
Nanq; domi modicum farrisq; oleiq; tenebat,
Quod fraudans genium parserat ipsa suum.
Hanc simul ac cernit, summissa voce precatur,
Ut tenuis pastus se releuaret ope.
Illa suam est Vati conquesta miserrima sortem,
Parca parens frugum quam tenuasset humus.
At Vates farri aspirans, oleoq; vigorem,
Tu modò fide, refert, nam quod abundet erit.

Illam fidem miro promisso Vatis habebat;
Atq; animo condit cætera dicta suo:
Nempe quod hic vnus pura sit mente colendus,
Quem colit Isacidis lecta propago DEUM,
Quippe quod ille vnus verbo omnipotente creauit
Quæ capit hæc vasto machina trina sinu,
Terras, Oceanum, cælum, & signa aurea cæli,
Solutus & hæc almo fœta tenore regat:
Auxilioq; leuet, successuq; annuat illis,
Qui fundunt ipsi pectore & ore preces.
Quare plus in eo votiq; speiq; locabat,
Humanae fluxa quam rationis ope.
Nec, quin sat largum pro nato & vate paratum
Post sibi sufficiat, iam, velut antè, timet:
Sed contenta bonis, quæ sors concessit habenda,
Euentum credit corde silente DEO.
ERgò licet duro quod pro se, & prole labore
Parserat, in sumtum iam propè abire videt:
Quam tamen igne domat pulterem de polline, vati
Exhibet, unde famis tristitia iura leuet,
HOC opus, in quo vera Dei fiducia lucet,
Excipiunt fidei præmia digna sua.
Ille DEO nunquam solet indotatus abire,
Qui trahit à solo vota q; spemq; DEO.

Scilicet

Scilicet ipsa pio cum Vate, piaq; cohorte

Largiter hoc toto tempore pasta fuit.

Plurima gens alibi macie confecta suprema,

Crudeli cecidit debilitate fame.

Nam sensim tenuis capit incrementa paratus:

Quò plus insumentum est, plus patet esse super.

Vsq; adeò res parua Deo indulgente vigorem

Crescit, & in tenui copia multa latet.

Quin domus illius facta est sacri agminis instar,

Cuius erat pastor qui modo pastus erat:

Turbaq; finitimis huc gressum adducit ab oris:

Et docilis magni pendet ab ore viri.

Hic honor est vidua potior, quam diuite censu

Ipsis Phœnicum regibus esse parem.

SED veluti miscet Deus his quos diligit idem

Tàm mala sepè bonis quàm bona sepè malis:

Sic quoq; fortunam hanc facies inopina dolorum

Consequitur: Natum languor habebat iners,

In quo uno misera stetit omnis cura parentis,

Solamenq; mali, gratia, vita, salus:

Vt quascunq; vices ipsi sors arcta ferebat,

Redderet hic verbis, obsequiisq; leues.

Et tantum crescit dolor hic in pectore matris,

In nati quantum corpore languor edax:

Donec

Donec is expirans animam de corpore sentit
Mortalem, noxa quam meruere, vicem,
Ipsa indignanti similis similisq; precanti
Conqueritur cladem voce dolente suam,
Hic ne spes vidua cum prole cadente iaceret:
Et graue tristitia ne superaret onus:
Indulgente Deo mœrentia pectora Vates
Alloquio & mira subleuat auctor opes.
Nam fatiis vidua precordia tactus acerbis
Offert exanimum voce precante Deo:
Vt fugientem animam priscos respiret in artus:
Sicq; iterum atq; iterum vota, precesq; nouat.
Parua mora extincto dudum torpentia sensu
Infuso rursus membra vigore calent:
Iamq; artus sensim leuat, in cubitumq; reponit
Corpus, & è tristi se mouet ille toro:
Et rediuius agit: rediuiuum fœmina cernit
Latior hoc, quanto tristior ante fuit.
Hoc specimen, vidua firmis assensibus auget
Nutantem, ærumna sollicitante, fidem:
Quoq; magis patet hæc insignis gloria facti:
Latius hoc Vatis dogmata sparsa volant:
Et sic finitimas etiam peruenit ad vrbes
In solito factò fama probata DEI.

TV quoq³, quem penes est studiorum cura meorum
Inter magnificos gloria prima viros,
Qui splendore tuis praeluces patribus, & qui
Instruis exemplo semina sera tuo,
Largus opum, **IO ACHIME**, tuis cum sumtibus
Cultoresq³ harum cultior ipse fouens, (Artes,
Respondes vidua, Vatem quæ pavit Eliam,
Præmia sensurus vatis agente Deo.
Vulgus habens odio quas non intelligit artes
Derogat ingenuis æra benigna viris,
Cerne tot exilia, & meliorum incommoda Vatum:
Quæ cecinit Cygnus, iam strepit anser edax.
At tu, ne tantis afflictæ casibus Artes
Exilio mutent limina fida suo:
Atq³ ita cælestis veniat penuria verbi,
Corda quod æterno mulcet alitq³ cibo:
Inuitas precijs, legatoq³ ære iuventam
In præceps studij ne cadat omne genus.
Nam nisi sit pubes, quæ linguas discat, & artes:
Cognitio sensim est interitura Dei:
Inde iterum spinas educet vinea Christi,
Et ruet in priscum, tam male culta, situm.
(Omnia quæ possem longo deducere versu:
Plurima sed breviter dicere, laudis erit)

Aere

Aere pio huic tristi supponens fulcra ruina,
Subsidia ingenijs mittis honesta bonis.
SI qua igitur cælo est pietas qua talia curet:
Illatibi hac reddet pro bonitate vicem;
Et te, remq; tuam cælesti sorte leuabit:
Ut nil indigeas ipse, aliosq; iuues.
Ipse ego pars horum, larga quos sorte leuasti
Spondeo pro tantis omnia digna bonis.
Ne tamen expectes, Si lofonti quale Darius
Reddidit, ut mea sors det tibi vilis idem;
Aut quale armigero Troianus origine Caesar
Pro potu gelida spontè rependit aqua:
Non subiecta meo imperio est Samothracia tellus:
Iugera Romani sunt mihi nulla soli:
Munera qua fero, sunt, quas mente & voce iuuabit
Assidua pro te sospite ferre, preces.
Nam quia non opis est nostra par reddere donum;
Quòd maior meriti sit modus ille tui:
Verborum intere à fructum feret æqua voluntas:
Hac quoq; pro magno munere grata Deo est.
Hunc prece compello, ut tibi longum indulgeat æuū,
Sed vacuum curis, lite, dolore, metu:
Ut velut es, possis Musarum castra secutis
Req; fideq; tua commodus esse diu:

Fama

FAMA tua domui comes ibit, tamq̄ benigni

Pfal. 118.

Laus animi de mto sine superstes erit.

Nam licet annosa pereant consumpta senecta

Omnia, nec redeat qui fuit ante vigor:

Attamen hic virtutis honos mage crescit in horas:

Crescit, & in sera posteritate viret.

Vnguina sic fundens Christi super ora Maria

Nomen ob officium tale perenne tulit.

Matth. 26

Quin, ubi res socias communia fata fatigent:

Pfal. 40.

Præstabit saluum te pia cura Dei.

Sic vidua Heliam pascenti grata rependit:

O quantum pietas utilitatis habet!

Idem te medio concursu ac mole laborum

Implicitum expediet, surripietq̄ malis.

Excitat idcirco genere ac virtute potentes;

Vt releuent nervis agmina sacra suis.

Sic ubi septenos, Asia in regione per annos

Olim pars anni tertia sicca foret:

Sustentata tamen pastu gens Isacis inter

Barbaricam gentem, solaq̄ lustra, fuit;

Pfal. 33.

Et sic euentu firmatum est, regius olim

Quod cecinit vates clarus in arte lyra:


Nempè quòd hos rerum penuria nulla fatiget,

Stat quibus in solo spes sua fixa Deo:

At

*At quorum Deus est venter sint semper egeni
Tum quoq; cum largas arca recondit opes.
Qui tribuunt studijs alimenta, sacrisq; receptum:
His in siderea sede receptus erit:
Nulla ubi fata illos percellere turbida, nulla
Fortuna poterunt sollicitare vices.*

F I N I S.



A 2490

ULB Halle

3


003 485 986




sb

kom







5

VI
Carmen *Bl 125*

DE VIDVÆ IN
SAREPTA BENE-
FICIO HELIÆ EXHIBI-
TO, ET REMVNERATIONE
EIVS DIVINA.

In gratiam

BENEFACTORIS SVI
MAGNIFICI ET NO-
BILISSIMI VIRI, DN. IO-
ACHIMI A BERGE IN HERNDORFF
& Clade, Sac. Cæs. Maj. à consiliis
secretioribus &c.

Scriptum
à
IEREMIA COLERO
SILES.

SERVESTAE
Typis Iohannis Schlerij, Anno clb Io IC.

6

